

MURET (Marc Antoine)

JUVENILIA (1620 vers)

La texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des **M. ANTONIII OPERA OMNIA**, publiée en 1789, à Leyde, chez Samuel et Joseph Luchtmans.

La répartition des pièces entre **Juvénilia** et **Poemata varia** étant un peu différente de celle faite par les frères Helwing dans leur édition de 1774, le lecteur voudra bien pardonner quelques doublons.

M. ANTONIII MURETI ELEGIARUM LIBELLUS.

ELEGIA PRIMA.

J1_1 v.1 Non ego Cadmeos meditor committere fratres,
 2 quorum inimicitias ipsa locuta pyra est ;
 3 non veteris Trojae lacrimosa reponere bella,
 4 bella canenda aliis, bella cavenda mihi.
 5 Hoc aliis per me liceat decurrere campo,
 6 illa meis non est versibus apta seges.
 7 Me Venus, et Veneris certo puer improbus arcu
 8 enervant, numeros attenuantque meos,
 9 nec praeter dominae blandum ridentis ocellos
 10 carmine me quidquam concelebrare sinunt.
 11 Forsitan ista senes culpabunt scripta severi :
 12 quid faciam ? Res est imperiosa decor.
 13 Quem non ille hominum, quem non movet ille deorum ?
 14 Saepe etiam caelo diripit ille Jovem.
 15 Me quoque Margaridos decor admirabilis urit,
 16 et sibi devinctum magna sonare vetat.
 17 Nec vero, Aonides, vestro me excludite coetu,
 18 si qua ego virginibus non satis apta canam.
 19 Nempe etiam e vobis juvenili capta decore
 20 Oeagro tenerum subdidit una latus.
 21 Si nulla e vobis ullum sensisset amorem,
 22 unde foret, quaeso, dicite, natus Hymen ?
 23 Sanctus Hymen, qui seductas a matre pueras
 24 abripit, inque viri collocat ipse sinu.

25 At tu, quae in me oculis nimium violentibus usa,
 26 nunc spolia e nostro sanguine opima refers,
 27 hos numeros hilari (quid enim vetat ?) Accipe vultu,
 28 et vide, ut in speculo, quid tua forma queat.

ELEGIA SECUNDA.

J1_2 v.1 Prima meae quisquis deliramenta juventae,
 2 et specimen tenuis respicis ingenii,
 3 sic tibi, si quid amas, semper contingat amari,
 4 invidia vacus, si legis ista, legas ;
 5 nec tibi sit duros acuisse in carmina dentes,
 6 carmina quae propriis scripsit Amor manibus.
 7 Seu sunt grata tibi, qua fronte placentia culpes ?
 8 Seu minus, ecquis te cogit ut illa legas ?
 9 Seria si quaeris, non sunt hic seria, lector :
 10 scribere amarorem seria posse putas ?
 11 Nos ignes canimus, pueri nos tela volantis,
 12 omine non fausto cognita tela mihi,
 13 et dominam, cuius sub amoena fronte reluent
 14 lumina, sidereis aemula luminibus,
 15 lumina materies ardoris maxima nostri,
 16 lumina, quae mentem surripuere mihi.
 17 Haec ego sola canam, dum florida ver aget aetas ;
 18 sit procul hinc tragico syrmate Musa tumens.
 19 Post, mea cum multi distinguent tempora cani,
 20 venerit et tremulo curva senecta gradu,
 21 tunc mihi sit curae Solis perdiscere cursum,
 22 an ne, et quae noceant sidera, quaeque juvent,
 23 quot caesum teneant zonae, quot partibus orbis
 24 constet, et unde cadant fulmina, curve cadant.
 25 Utamur, dum fata sinunt, melioribus annis,
 26 et tota nobis mente colatur Amor :
 27 dum decet et postes nocturna frangere rixa,
 28 nec pudor est vernis frons redimita rosis,
 29 dum decet et mentem leni vincire Lyaeo,
 30 et dominae clausas ante jacere fores.
 31 Auferet haec secum, velut aufert omnia, tempus :
 32 cernis, ut hora, dies, mensis, et annus eunt ?
 33 Qui modo vagibat, nunc est puer, inde repente
 34 de puero juvenis, mox vir, et inde senex.
 35 Quare florentes aptosque caloribus annos
 36 quisquis agis, Veneris vive sub imperio,
 37 ne frustra aetatis meliori parte peracta
 38 vivere tunc cupias, vivere cum nequeas.

ELEGIA TERTIA.

J1_3 v.1 Scire cupis, quae fit votorum summa meorum,
 2 et qua praecipue vivere sorte velim ?
 3 Non ego tecta mihi Phrygiis innixa columnis,
 4 divitis aut auri pondera mille petam,
 5 non ab Erythraeo repetendas litore conchas,
 6 aut quae centenus jugera taurus aret,

7 sed tecum longae traducere tempora vitae,
 8 securumque tuo semper amore frui.
 9 Tunc ego purpureos possim contemnere reges,
 10 praeque mea sors est, dicere, vestra nihil,
 11 si me candidulis incinctum, vita, lacertis
 12 in tepido teneas, confoveasque sinu,
 13 me nunc mellitis mulcens sermonibus, et nunc
 14 continuo fixis impete basiolis,
 15 semotum strepitu, dominaeque tumultibus urbis,
 16 versantem valido pingua rura bove.
 17 Sic tecum, mea lux, vitae traductus inertis
 18 vivere si possim, nil prius esse putem.
 19 Tecum ego per montes, tecum per devia tesqua,
 20 et curram nullo per loca tacta pede ;
 21 post ubi currendo fuerit lassatus uterque,
 22 fessa in graminea membra reponet humo,
 23 et rursum certamen erit linguisque labrisque,
 24 quod vel Chaonias vincere possit aves.
 25 Forsitan et quiddam post basia multa sequetur,
 26 multo illis quod sit dulcius et melius.
 27 Non ego tunc loculi metuam gravioris amantes.
 28 Servandae bona sunt rura pudicitiae :
 29 balnea non illic, non sunt populosa theatra,
 30 non quidquid mentes sollicitare potest,
 31 sed nemora, et placido currentes murmure rivi,
 32 demulcensque rudi carmine pastor oves.
 33 Porro deterior nobis cum venerit aetas,
 34 sparserit et cana tempora nostra nive,
 35 tunc curare cutem, genioque litare decebit,
 36 dum fuerint vitae stamina rupta meae.
 37 Nam mea tu, sed non longum mansura superstes,
 38 in tumulo condes ossa minuta brevi,
 39 deinde ubi te pariter saeva mors impia falce
 40 laeserit, et juris jusserset esse sui,
 41 quo nos, te poni tumulo mandabis eodem,
 42 inscriptum lapidi carmen et istud erit :
 43 "Cor fuerat binis unum, mens una, viator,
 44 quorum nunc unus contegit ossa lapis."

ELEGIA QUARTA.

J1__4 v.1 Virgo oculis ipsis merito mihi carior, ac non
 2 solum oculis ipsis, quin etiam ipsa anima,
 3 quam niveus morum candor, mens nescia fraudis,
 4 plus quam majorum stemmata nobilitant,
 5 nobilitent licet ipsa, licetque a sanguine claro,
 6 et non obscura sit tibi stirpe genus,
 7 quanta, putas, nostram vexarunt taedia mentem,
 8 ex quo diversis coepimus esse locis ?
 9 Mitius, hostili ruerent cum Pergama dextra,
 10 Laomedontiadas indoluisse puto,
 11 mitius Electran, falsas cum tristis ad aures
 12 venit Oresteae nuntia fama necis.
 13 Scilicet haud aliis campis errabat Aleis
 14 excussus patrio munere Bellerophon.

15 O quoties aegro suspiria pectore duxi,
 16 atque ignis, dixi, quam procul hinc meus est !
 17 O quoties quavis libuit mihi morte pacisci,
 18 possemus paucos ut simul esse dies !
 19 Occurrunt animo ridentia lumina nostro,
 20 occurrit fusco blandus in ore lepos :
 21 nunc molles subeunt risus, nunc gratia fandi,
 22 nunc subeunt sciti, sed sine dente, sales,
 23 verbaque, amarescunt mihi prae quibus omnia mella.
 24 Ah ! Me his tam longum posse carere bonis ?
 25 Improba, Persephones educta ex carcere pestis,
 26 vix tua plus ulli, quam mihi, tela nocent :
 27 falx tua non paucos leto multavit amaro,
 28 falx tua corde meo me jubet esse procul.
 29 Illis finis adest vitae, finisque dolorum ;
 30 at mea perpetuus pectora languor habet.
 31 Hem ! Numquamne ego te posthac, mea cura, revisam ?
 32 Numquamne os istud suaviloquum aspiciam ?
 33 Numquam erit, ut veteri Sol nos de more jocantes
 34 conspiat surgens, conspiyatque cadens ?
 35 Certe equidem eveniet. Viden' ut jam fulgure laevo
 36 firmarit nostras Jupiter ipse preces ?
 37 Spes fovet in medio jactatos aequore nautas,
 38 spes fovet armatos, spes fovet agricolas,
 39 spes fovet inclusos tenebroso carcere sontes,
 40 et nos in vita spes quoque sola tenet :
 41 haec modo ne quando temere concepta putetur,
 42 fac, fiat scriptis certior usque tuis.

ELEGIA QUINTA.

J1_5 v.1 Non ego Cumaei peragam si pulveris annos,
 2 vivere Margaridos liber amore queam ;
 3 nec si se lecto Venus offerat aurea nostro,
 4 Margaridem Veneri postposuisse velim,
 5 tam mihi confixit jaculo praecordia certo
 6 Idalius cornu notus et igne puer.
 7 Haec quoque nascenti cecinerunt fata sorores,
 8 quas nox antiquo sustulit ex Erebo.
 9 At Paris Oenonen quamvis ardenter amarat,
 10 sustinuit visa linquere Tyndaride ;
 11 dixerat et Theseus : "Ego te, Minoi, relinquam ?
 12 O ea sit leto tardior hora meo."
 13 Vix bene vectus erat spumosa ad litora Diae,
 14 in viduo conjux sola relicta toro est.
 15 Submergi, dum per Neptunia prata vacatur,
 16 dignus et iste fuit, dignus et ille fuit,
 17 qui potuere suos alio transferre calores,
 18 et vitas vita deseruere prius.
 19 Tale ego si faciam facinus, mihi terra dehiscat,
 20 et rapiar Siculae vivus in antra deae ;
 21 illic me tragicae vexetis Erinnyes, illic
 22 omnia cunctorum solus acerba feram.
 23 Sed neque tam dubius, neque sum tam factus amator :
 24 una dies vitam finiet, una fidem

25 quandocumque igitur fatalia tempora mensus,
 26 ad vacuas lucis cogar adire domos,
 27 Margaris ipsa mihi natitantes claudat ocellos,
 28 vitamque ore suo carpat ab ore meo.
 29 Post, effusa comas, nostrum float ante sepulcrum,
 30 serta ferens lacrimis humida facta suis,
 31 et dicat : "Vates nuper, Murete, fuisti
 32 non bonus, at certe fidus amator erat."

ELEGIA SEXTA.

J1_6 v.1 Margari, quis mihi te reddat deus, aut tibi quis nos,
 2 aspectu ut grato possit uterque frui ?
 3 Nec solum aspectu, sed et oscula ferre citato
 4 impete, quae nullus dinumerare queat,
 5 ut colludentes jucundo murmure linguae
 6 committant avidas per patula ora animas.
 7 Non ita laeta fuit quondam Icariotis, Ulyssem
 8 cum vidi salvum post duo lustra suum ;
 9 nec tam iterum accepta Lyrnesside laetus Achilles,
 10 qua quondam abducta fleverat ipse diu,
 11 quam te conspecta scis me, mea vita, futurum,
 12 quam me conspecto te scio, vita, fore.
 13 O quam avide, o quoties, o quot, formosa, figuris
 14 isti ori roseo basia pressa darem !
 15 Non hedera annosas complectitur artius alnos,
 16 non ulmum vitis pressius ulla tenet.
 17 Tunc mea turgidulas tractaret dextra papillas,
 18 tractarent avidae lactea colla manus.
 19 Longa vetant, eheu, spatia interjecta viarum,
 20 quanta Hypanin vix sunt inter et Eridanum ;
 21 nam te Pictonicae retinens felicia terrae
 22 oppida, qua Clanus pinguia culta secat,
 23 me vero invidiae procul a te dentibus actum
 24 fortia lunatae moenia Burdigalae,
 25 pocula qua veteri non inferiora Falerno
 26 dicit ab innumeris glarea trita rotis.
 27 Et tamen, heu, sine te mihi jam nec dulcia vina,
 28 tristia nec quidquid corda levare solet ;
 29 ipsa mihi est invisa dies, Sol ipse videtur
 30 opposita vultus abdere nube suos.
 31 Et merito, quid enim sine te non triste putandum est,
 32 qua sine vel vita est ipsa molesta mihi ?
 33 O di, si miseros vestrum fovet ullus amantes,
 34 vos tandem faciles in mea vota date :
 35 reddite me dominae, vel si id per fata negatur,
 36 finiat angores nex inopina meos.

ELEGIA SEPTIMA. AD P. CRUSELIUM MEDICUM.

J1_7 v.1 Dum tu conaris Parcarum extendere fila,
 2 semineces luci restituisque viros,
 3 conclamata novam mittens in corpora vitam,
 4 atque Charonta levi currere nave jubens,

5 interea quo me, Cruseli docte, putares
 6 ducendos sine te fallere more dies ?
 7 Scilicet, ut semper, nostros agitamus amores,
 8 quae vitae nobis sola terenda via est ;
 9 et modo damnamus, toties quem sensimus, arcum,
 10 nunc de crudeli conquerimur domina,
 11 nunc, qua placari possit ratione, rogamus :
 12 omnia quae quivis tactus amore solet.
 13 Haec mea laus, haec sint famae paeconia nostrae,
 14 non alio ad manes nomine notus eam,
 15 ut quondam juvenis telo percussus eodem,
 16 quo nos, assidue carmina nostra legat,
 17 agnoscatque suos nostris in versibus ignes,
 18 reddaturque meis cautior ipse malis.
 19 Tu cui fatipotens artem concessit Apollo,
 20 morborum pelli qua genus omne queat,
 21 perge salutifera miseris succurrere dextra,
 22 regnaque Persephones fac populosa minus,
 23 ut tibi laeta viro gratetur sospite conjux,
 24 et paene amisso turba minuta patre,
 25 ut te fama ferat cudentibus aurea pennis
 26 Hippocrati Coo, Phillyridaeque parem.
 27 At sine me, qui sum sectando natus Amori,
 28 inter inexhaustas vivere nequitias :
 29 me disperdat Amor, semper me torqueat, inque
 30 corde meo accensas ventilet usque faces ;
 31 qui si te pariter certo concusserit arcu,
 32 hei mihi, quot curas perpetiere miser ?
 33 Tunc tandem disces, quid sit servire puellis,
 34 tunc tandem, excludi quid sit, amice, scies.
 35 Nil tibi multiplies cognoscere proderit herbas ;
 36 hunc etenim morbum pharmaca nulla juvant.
 37 Quippe etiam Phoebum virgo Peneia torsit,
 38 profuit auctori nec medicina suo.
 39 O quam saepe mihi, mallem carissime, dices,
 40 in gelidis Scythiae montibus esse lapis.
 41 Haec te, et plura manent, sed quae tua cumque futura est,
 42 ingenio saltem digna sit illa tuo.

ELEGIA OCTAVA.

J1__8 v.1 Basiolum blando tetulit mihi Margaris ore,
 2 ambrosia, et dulci nectare dulce magis,
 3 quale thymo aut casiae, verni sub primula Solis
 4 lumina, cum blando murmure libat apis ;
 5 inde fugit propere pedibus lasciva protervis,
 6 dum sese in tenebris posse latere putat.
 7 Sed nihil est : non sivit eam latuisse Cupido :
 8 erranti faculas praetulit ille mihi.
 9 Jam te igitur rursus teneo formosula, jam te
 10 (quid trepidas ?) teneo, jam, rosa, te teneo.
 11 Da mihi pro grata sumpti mercede laboris
 12 ter tria, terque tribus basia ducta modis.
 13 Dic age, num sentis animos concurrere nostros,
 14 dum sibi dimidium quaerit uterque sui ?

15 Sic age, sic, mea vita, animos jungamus utrimque,
 16 nulla ut eos possit dissociare dies,
 17 quin tandem ambiguae post jura precaria lucis
 18 unicus e gemino spiritus ore fluat.

ELEGIA NONA.

J1_9 v.1 Margari, flammeolis quae me comburis ocellis,
 2 per quos in cineres, hei mihi, vivus eo,
 3 dic mihi qui facias tam multa incendia, cum sis
 4 candidior prima frigidiorque nive ;
 5 namque ea quae molles exest mihi flamma medullas,
 6 a te, si qua fides, non aliunde venit.
 7 Tu tamen, heu, tamquam glacie circumdata pectus,
 8 edure nostras respuis usque preces.
 9 Esse quid hoc dicam ? Neque enim potis est in eodem
 10 cum summo summus frigore inesse calor.
 11 Scilicet et quae nos fieri non posse putamus,
 12 cum libet, et quoties, perficit unus Amor.
 13 Is tibi cor misto circumdedit igne geluque :
 14 quae possent ferri singula, juncta necant.
 15 O igitur glacies quovis ardenter igni,
 16 o ignis quavis frigidior glacie,
 17 aut ne me perdant tua frigora, mitius ure,
 18 aut ne flamma, gelu projice, Diva, tuum.

ELEGIA DECIMA. AD F. VERUM LOMENIUM.

J1_10 v.1 Hei mihi, cur genio vis me pugnare, Lomeni,
 2 naturaeque jubes vertere jura meae ?
 3 Curve parum gratas impellis durus ad artes,
 4 musica cui solum sacra placere vides ?
 5 Nam nec acris miles fieri, nec idoneus armis,
 6 cui semel arrisit rustica vita, potest,
 7 nec si quem placido nascentem lumine Clio
 8 viderit, admota contigeritque manu,
 9 aut bonus hostiles umquam foedare catervas,
 10 aut ad saeva fori jurgia promptus erit ;
 11 omnia sed fugiens tranquillae inimica quieti,
 12 exiget aetatis mollia fila sua,
 13 magnarum securus opum, securus honorum,
 14 omnia despiciens, quae leve vulgus amat.
 15 Ille etiam summos audax contemnere reges,
 16 praeque sua miseros condicione putans.
 17 Castra juvent alios, bellique inamabile murmur,
 18 missaque non siccae corpora multa neci,
 19 queis rapiat primae teneros lanuginis annos,
 20 acceleretque suum Parca severa diem ;
 21 gaudeat hic miseros inter clamare clientes,
 22 et pavidos duro terreat ore reos,
 23 hic adeat terras alio sub Sole calentes,
 24 litoraque instructa plurima classe legat,
 25 seu ferat Herculeas animus spectare columnas,
 26 seu ferat annosos ire ad Hyperboreos,

27 durus, qui fragili vitam committere ligno
 28 audet, et ignotas aequoris ire vias,
 29 nec timet inverso decumanos marmore fluctus,
 30 securusque animi squamea monstra videt.
 31 Non sic divini, mitissima pectora, vates,
 32 aethereo quorum flamine corda calent.
 33 Otia sectantur sed enim, tacitosque recessus,
 34 et sua neglectis urbibus arva colunt,
 35 splendidaque et multo spectanda palatia luxu
 36 contemnunt, humiles anteferuntque casas ;
 37 illic et siccant generoso plena Lyaeo
 38 pocula, Bistonia frigidiora nive,
 39 et si nescio quid seu vultu ancilla sereno,
 40 seu non informis villica pollicita est,
 41 protinus ut capta reduces ex urbe triumphant.
 42 O hominum felix terque quaterque genus !
 43 Sic ego sim, liceatque mihi, mea Margari, tecum
 44 non alia vitam ducere sorte meam.
 45 At tu, quantum in te est, alio nos ducere tentas,
 46 Astraeeaque sequi numina, Vere, jubes :
 47 "Et, quid, ais, quaeso, molli tibi carmine quondam
 48 proderit aut homines, aut cecinis deos ?
 49 Scilicet ut toti fueris cum fabula vulgo,
 50 cumque erit in vultu plurima ruga tuo,
 51 fortiter esurias, ut te mala cogat egestas
 52 multa pati forti non patienda viro,
 53 sectari mensas, blande appellare potentes,
 54 tollere mentitis laudibus astra super.
 55 Quod nisi desiperes, poteras in luce forensi
 56 versari, et laudem quaerere, opesque tibi.
 57 Excute decepta blandum de mente furorem,
 58 qui tibi, ni caveas, perniciosus erit."
 59 Advertit tardas qui recta monentibus aures,
 60 exitium demens fabricat ipse sibi.
 61 Ergo ego ut hirsuti verbosa volumina Baldi,
 62 ut discam leges, Justiniane, tuas,
 63 dediscam teneri modulamina blanda Properti,
 64 dediscam numeros, culte Tibulle, tuos ?
 65 Ah peream prius, et saevo me fulmine tactum
 66 trudat in obscuras Jupiter ipse domos.
 67 Quam melius dulces dominae in complexibus annos
 68 ponere, et in caro saepe jacere sinu !
 69 Dispeream, si quidquid opum, si quidquid honorum est,
 70 a genere hoc vitae me revocare potest.

.../...

AD PETRUM RUFUM DRUYDAM, CONSILIARIUM REGIUM,
 SATYRARUM LIBELLUS.

SATYRA PRIMA.

J2_1 v.1 Jam dudum tumido mihi bilis in hepate fervet,
 2 et rumpi metuo, nisi te, Auruncane, secutus,
 3 inficiam tenues mordaci carmine chartas.
 4 Tune ausis satyram conscribere, tot tibi rerum
 5 conscious, ut satyrae possis satis esse vel unus ?
 6 Quidni autem ? Numquid par est audacia Balbo,
 7 Balbo, Stentorea Christum qui voce professus,
 8 deinde domi cevet, tremulum crisante Lycinna ?
 9 Et tamen hunc torvis oculis, et fronte severa,
 10 flammatisque genis, atque horrifico ululatu,
 11 dum docet, et jactat fatuae sua dogmata turbae,
 12 in mores clamare malos si videris olim,
 13 esse putas supero demissum ex limine Paulum.
 14 O mihi si effossa liceat scrobe dicere, quod mox
 15 efferat in vulgum foliis vocalibus arbor,
 16 quaenam ego, vel potius quae non ego crimina dicam,
 17 concitus ? Optari sed enim quia talia possunt,
 18 non etiam fieri, dicam tibi, Rufe, sed uni,
 19 (...versus initium Graece scriptum ... li|cebit)
 20 quae mihi sive furor, sive haec suggesserit ira
 21 Nam quis enim est adeo patiens (nisi forte Torannus
 22 deprensis solitus blandiri in conjugе moechis,
 23 et piperis multo saturas offerre placentas,
 24 dum refugit rixas vitandaque jurgia censem)
 25 quisnam, inquam, est usquam, qui si saecli semel hujus
 26 vividius paullo faciem consideret, ira
 27 abstineat ? Cum jam, oppresso virtutis honore,
 28 regnet in humanis vitiorum infamia rebus.
 29 Improba quos ludi fecit fortuna choragos,
 30 visceribus reliquorum, et sanguine plebis aluntur,
 31 praeficiuntque suis saevi rationibus, haud quos
 32 longa fides vitae, vel constans fama probarit,
 33 verum aquilas et vulturios, qui rodere norint
 34 ad vivum, atque unum ex membris augere lienem.
 35 Ringitur interea populus miser et prece multa
 36 nequidquam surdas divisorum verberat aures.
 37 Audisne haec, inquam, magin pater Herculis ? Audis ?
 38 Audisne, an dormis, an nectaris ebrius haustu,
 39 exerces positis genitalia tempora curis ?
 40 Non aliter nostri. Similes fortasse tueris.
 41 Haec aliquis, sacro cernens qui sulphure quercus
 42 nil meritas, non monstra illa exitiosa feriri,
 43 in rabiem versus furiisque agitatus amaris,
 44 insequitur veteris non sanum dogma Lucreti.
 45 Sic alia ex aliis incommoda. Quomodo enim plebs
 46 ipsa colat divos, cum vos, qui fulmine bruto

47 stringitis in vestras ausos mutire tiaras,
 48 conspiciat divis ipsique oppedere Christo ?
 49 Anne libet mecum rationum evolvere libros ?
 50 Centum lenoni sestertia, mille Corinae.
 51 Hui, mille infami scortillo ? Desine, pulchra est,
 52 et bene sub domino lumbos vibrare perita :
 53 quin etiam fessus si quando elanguit, ipsa
 54 insilit, et blande super illum palpitat ; id tu
 55 quanti esse, aut potius quanti non esse putabis ?
 56 Perge, age. In accipitres triginta expensa, canesque
 57 (hos domini potius pasci decuisset omaso)
 58 eripuit fallax plus millibus alea binis ;
 59 unguenta exoticque tulerunt cetera odores,
 60 fartoresque coquique et rari opsonia luxus.
 61 Interea quantum in viduas, quantum in peregrinos ?
 62 Quotnam inopes pavit domini quadra ? Quot studiosos ?
 63 Inscius est morum quisquis bunc talia quaerit.
 64 Haec fuerant sub rege Numa, sub consule Bruto.
 65 Nunc alia est aetas. Nugalibus hisce relicta,
 66 curant magnanimi ventrem, caudamque nepotes.
 67 Nec gratus quisquam est, nisi cui perstricta pudorem
 68 frons omnem abstulerit, sic ut probet omnia, sitque
 69 et bene ructanti post cenam applaudere porco,
 70 et bene pedenti blandum arridere paratus.
 71 Sed satis est. Si forte furor Phoebeius olim
 72 mentem, Rufe, meam simili concusserit oestro,
 73 bilem aliis, uni risum tibi, Rufe, movebo.

AD DANIELEM SLEICHERUM,
 ULMENSEM, ADOLESCENTEM OMNIBUS ET FORTUNAE, ET CORPORIS ET ANIMI BONIS
 CUMULATISSIMUM

SATYRA SECUNDA.

J2_2 v.1 Rumpe Lycambea numeros de caede madentes,
 2 Musa ferox, rabieque nova flammata malignos
 3 fige hominum mores, damnataque saecula culpae.
 4 At tua quis poterit patienti volvere vultu
 5 scripta ? Quotus tandem feret haec convicia lector ?
 6 Men' curare putas, mea quis laudetve, legative,
 7 rideat, aut damnet ? Quasi haec sint justa laboris
 8 praemia, post centum vigilatas ordine noctes,
 9 et paene erosos repetitis morsibus unguis,
 10 insanis et semper deterrima quaeque probantis
 11 plus aliis populi suffragia caeca tulisse.
 12 Tu modo, quem nondum saecli contagio vertit,
 13 tu legit haec, Daniel, prima que a flore juventae
 14 disce, quot humana lateant sub imagine pestes.
 15 Hunccine tu, cui laena humeros hyacinthina velat,
 16 lucentem hinc illinc auro, gemmisque superbum,
 17 vinosa facie, vasti qui pondere ventris
 18 sudantis mulae cedentia terga fatigat,
 19 aspicis ? Hic primo abjecta de stirpe creatus,
 20 vilisque, ignotusque, et terrae denique proles,

21 non aut virtute, ingenuis aut artibus (illas
 22 ipse sua ex aequo cum mula novit) at astu,
 23 sensim subducens fatuis fundosque, laresque,
 24 tandem huc pervenit : rabidi nunc more leonis
 25 ventrem adipe insontum et miserorum sanguine farcit.
 26 Aspice et hunc, qui diducto, ceu simia, rictu
 27 putris gingivae vidiuata sedilia pandit.
 28 Quottidie hunc videas nitidi sub primula Solis
 29 lumina, cum trepidus postico limine furtim
 30 emittit tota vexatam nocte sacerdos,
 31 repere paulatim per delubra omnia, et illic
 32 obstipo capite, et trepidantibus usque labellis
 33 nunc has, nunc illas provolvi cernuum ad aras.
 34 Hinc rediens non ille inopes fraudare recuset,
 35 non delatori perjuria vendere Credo,
 36 non facere omnia, quae vel dicere vix sit honestum.
 37 Vim putat hanc demens esse in lustralibus undis,
 38 perque globos precibus distracta mente volutis,
 39 ut si vel cani jugulum patris ense resolvat,
 40 dummodo mortales oculos effugerit, ipse
 41 conscientia securus contemnere numina possit.
 42 O simulatores, taetrum pecus, ut mihi saepe
 43 bile jecur vitrea diffinditur ista tuenti !
 44 Creditis, esse deum caelo, qui talia curet ?
 45 Exprimite hoc factis. Non creditis ? Abjicite ergo
 46 hunc fucum, et vultu ruite in scelus omne reiecto.
 47 Hoc ego larvarum genus exitialiter odi.
 48 Sed quid ego enumerans nequidquam singula conor ?
 49 Res caret illa modo : genera ipsa evolvere longum est.
 50 Stupra, doli, fraudes, perjuria, furta, rapinae,
 51 crimina erant olim : nostro sunt tempore lusus,
 52 quos pueri teneris meditantur ab unguibus, et quos
 53 ipse docet natos genitor, materque puellas.
 54 Venimus ad summum : ruptis et prorsus habenis
 55 oppressa rerum potitur virtute libido.

M. ANTONII MURETI EPIGRAMMATA.

DIVO JULIO CAESARI SCALIGERO, PATRI MEO.

J3_1 v.1 In tenues numeros, primi monumenta furoris,
 2 quo mea non simplex corda subegit Amor,
 3 dirige siderei radiantia lumina vultus,
 4 Caesar, et haec nati ludicra nosce tui.
 5 Neu pigeat studiis aliquot gravioribus horas

6 subtrahere : interdum deserere illa leve est.
 7 Nempe ducum haud quisquam, licet imperterrita gestet
 8 corda ferox, gladios semper et arma terit.
 9 Qui populos jussisque regunt nutuque coercent
 10 et retinent forti regia sceptrta manu,
 11 non renuunt animos rerum moderamine pressos
 12 interdum teneris exhilarare jocis ;
 13 saepe etiam vasti mens unica Jupiter orbis
 14 flectere se a magnis ad leviora solet.
 15 Insequere exemplum regumque, ducumque, Deique,
 16 dux olim, et princeps : nunc mihi paene Deus.

ANTONIO GOVEANO.

J3_2 v.1 Summe poetarum, quos saecula nostra tulerunt,
 2 cui sacra Castalii fluminis unda subest,
 3 accipe non tetrica juvenilia carmina fronte,
 4 a domino limam jussa subire tuam,
 5 ut tibi si (quod vix ausim sperare) probentur,
 6 olim se lucem posse videre putent ;
 7 sin minus, aeterna damnentur, ut omnia, nocte,
 8 aspectu tanti facta beata viri.

AD NOCTEM, SIDERA, ET AURORAM DE DOMINAE PULCRITUDINE.

J3_3 v.1 Nox furva, atque alis horrenda nigrantibus, et res
 2 fixa meae vultu saepius astra deae,
 3 audite haec : tu primum Erebi centumplicis uxor,
 4 quae veniens uno cuncta colore notas.
 5 Non pudor est, ubi flammeolo te, Margaris, ore
 6 pellit, et invitum cogit adesse diem ?
 7 Vos quoque lucentes Aethrae radiantis ocelli,
 8 quorum alta assiduo templa canore sonant,
 9 non pudor est, oculis ubi scintillantibus illa
 10 cedere tot vestras lampadas una jubet ?
 11 Et tu Dardanii conjux formosa mariti,
 12 tangere Sol cuius nil nisi terga potest,
 13 numquid ubi aspexti, quam te procul illa relinquat,
 14 nativus roseo crescit in ore rubor ?
 15 Non, puto : quin illi ultro omnes conceditis, in qua
 16 miratur vires Jupiter ipse suas.

VENTIS FURENTIBUS.

J3_4 v.1 Aeolidae celeres, dominae Junonis alumni,
 2 caerula velivoli quos timet unda maris,
 3 altifremi, alipedes, caeli, terraeque tetrarchae,
 4 dirigite in pectus flamina vestra meum,
 5 ut mea vel vestro pereant incendia flatu,
 6 vel me etiam vestris viribus aucta necent.

AD ANIMUM SUUM.

J3_5 v.1 Quonam abiit mi animus ? Num quo solet ? Auguror illuc :
 2 pectore se dominae condidit ille meae.
 3 Siccine me tandem miserum, fugitive, relinquis ?
 4 Siccine, desertor, castra inimica petis ?
 5 O saltem flammata tuo vel ab igne calescat,
 6 frigora vel flamas enecet ipsa tuas.

MARGARIDI.

J3_6 v.1 Dicere dum conor nostros tibi, vita, dolores,
 2 ah misero ex ipsis verba labris abeunt.
 3 Dum tegere, et clauso meditor sub corde tenere,
 4 ingeminat vires abdita flamma suas.
 5 Quid faciam ? Ex aequo magnum discrimen utrumque est :
 6 sive loqui coner, sive tacere velim.
 7 O quae sola meo jam dudum in pectore regnas,
 8 tute tibi casus, diva, referto meos.

SOMNIUM.

J3_7 v.1 Euge, an te teneo, mea lux, an somnia demens
 2 fingo mihi ? Certe, lux mea, te teneo.
 3 Somnia non haec sunt. Oculis nonne intuor hisce
 4 flammeolosque oculos, purpureasque genas,
 5 lacteolasque manus, et eburnae frontis honorem,
 6 collaque non tacta candidiora nive ?
 7 Dulcia collatis ineamus proelia signis,
 8 dum tuta alternis lusibus hora datur.
 9 Me miserum ! Nusquam es. Fallax me lusit imago.
 10 O dolor ! O animi gaudia vana mei !
 11 Quid queror ? Exacta si rem ratione putemus,
 12 umbra est in misero quidquid amore boni est.

MARGARIDI.

J3_8 v.1 Dum te, Margari, basiare conor,
 2 labris protinus invident ocelli,
 3 aspectuque tui carere nolunt.
 4 Quod si contuitu beare ocellos
 5 tentarim, labra protinus repugnant,
 6 quae ad sese iste tuus vocat, trahitque
 7 candor, purpureo natans in ore,
 8 ut ferrum Herculeus trahit lapillus.
 9 O vis eximiae superba formae,
 10 quae me vel mihi dissidere cogit.

EIDEM.

J3_9 v.1 Sic age, pugnando teneri pascuntur amores,
 2 invade insanis unguibus ora mihi ;

3 et turba nostros, audax, laceraque capillos,
 4 atque interjecta gaudia veste nega.
 5 Illa etenim o quanto magis est perfecta voluptas,
 6 quae cupiente quidem, sed renuente venit !

EIDEM.

J3_10 v.1 Ludamus, mea Margari, et jocemur :
 2 nos et cum roseum diem reducet,
 3 et cum se Hesperiis recondet undis,
 4 deprendat radiatus ora Phoebus
 5 ludentes simul, et simul jocantes.
 6 Appellabo ego te meam columbam,
 7 tu me, blandula, passerem vocabis.
 8 Cum dicam tibi percitus furore,
 9 da mi basiolum unicum, columba :
 10 tu collo injiciens meo lacertos,
 11 porges mi oscula delicata mille,
 12 et mille altera, et altera usque mille,
 13 vibrans improbulam subinde linguam, et
 14 os morsu tenero meum lacessens.
 15 Dehinc dices mihi, mi tenelle passer,
 16 annon ipsa tibi una sum columba ?
 17 Tua una ex animo columbulilla ?
 18 Tuum mel, tua suavitas, tuum cor ?
 19 En me (nam tua sum) suaviare,
 20 en haec ubera jam reecta cerne,
 21 quae per te mihi primulum tumescunt
 22 objectam et sibi fasciam repellunt.
 23 Quo tu, quo modo, delicate, pergis ?
 24 Quo trudis digitos nimis salaces ?
 25 Sic nos, sic age, dum viremus ambo,
 26 dum res ad Veneris valemus ambo,
 27 ne frustra melior teratur aetas,
 28 ludamus, mea Margari, et jocemur.
 29 Tergo debilis imminet senectus.
 30 Quae cum venerit, ah dolor, columba,
 31 nos tussis mala, viriumque languor
 32 pro ludisque jocisque consequentur.

AD PAULAM.

J3_11 v.1 Basia quod libas cupidis luctantia linguis,
 2 res satis ardori non facit ista meo.
 3 Quod mea colla tenens blandis, resupina, lacertis,
 4 me dicis vitam, deliciasque tuas,
 5 hoc nihil est. Dulci Veneris de nectare, Paula,
 6 aut nulla, aut quinta da mihi parte frui.

AB AMICA PROCUL POSITUS,
 OB IDQUE NOCTU QUIESCERE NON VALENS, MORTEM PRECATUR.

J3_12 v.1 Jam tacitis caelo volvuntur tractibus ignes,

2 alataque rorantes Delia flectit equos.
 3 Jam pecudumque, atque alituum genus omne, ferarumque,
 4 et quotquot liquido marmore monstra silent,
 5 somnus habet, dubioque natans per inane volatu,
 6 membra papavereis illinit unguinibus.
 7 Te solum, Murete, fugit : tibi cura recursans
 8 ire jubet lento tempora maesta gradu.
 9 O caelum ! O certis agitati legibus orbes,
 10 cuilibet ex ortu qui sua fata datis !
 11 Extinctum toties sit fas occumbere. Jam sum
 12 non ego, sed tantum corporis umbra mei.

IN VENEREM.

J3_13 v.1 Si Venus, ut mendax docuerunt turba, poetae,
 2 de mediis vere nata putatur aquis,
 3 qui fieri potis est, mediis ut fluctibus orta
 4 assiduo nostrum torreat igne jecur ?
 5 O dolor ! O quid jam miseri speretis amantes !
 6 E media vobis nascitur ignis aqua.

AD MARGARIN.

J3_14 v.1 Quem tu cunque semel blando aspectaris ocello,
 2 ni subita esxiliat laetitia, lapis est.
 3 Cui vero haec etiam dederis libanda labella,
 4 hunc ego felicem terque quaterque voco.
 5 At si quem complexa tuo dignare cubili,
 6 is non jam felix, Margari, sed deus est.

LUSUS CUM AMICA.

J3_15 v.1 Pande oculos, pande stellatae frontis honorem,
 2 queis doleat visis, invideatque Venus.
 3 Pande, agedum, lasciva, quid, o, quidnam oculis illud,
 4 quo mea versantur corda, supercilium ?
 5 Saltem ebur hoc manuum interea spectare licebit :
 6 ah, etiamne manus ? Saeva, etiamne manus ?
 7 En, jam igitur posthac nihil amplius ipse videbo :
 8 claudio etiam ipse meos, en tibi, claudio meos.
 9 Jam, formose dies, jam, lux formosa, valeto,
 10 nam vos, nec dominam cernere supplicium est.
 11 Auditi, inque sinum jecit mea diva meum se,
 12 reclusitque oculos applicito ore meos.

EIDEM.

J3_16 v.1 Cum pluit, et radios Phoebus cum subtrahit orbi,
 2 tum sane maestus quilibet esse solet.
 3 Ne mirere igitur, si sim, mea Margari, tristis :
 4 ecce pluo lacrimas, tu mihi Phoebus abes.

AD GALLAM.

J3_17 v.1 Novi pro verbis ego sola rependere verba,
 2 et pro blanditiis reddere blanditias.
 3 Oscula si qua dabit, sola auferet oscula de me :
 4 pro solis nutus nutibus eripiet.
 5 Haec aliquid praeter tibi me si vis dare, fas est,
 6 haec aliquid praeter, te mihi, Galla, dare.

JULIO CAESARI SCALIGERO.

J3_18 v.1 Scaliger Aoniae decus immortale cohortis,
 2 qui, quae alios ornant singula, solus habes,
 3 altera Veronae, major sed fama priori,
 4 cui Clarii munus cessit utrumque dei,
 5 cui tot se debent animarum millia, per quem
 6 saepius est Stygii cymba quieta senis,
 7 quod tantum augusta de majestate remisti,
 8 ut placido versus videris ore meos,
 9 praemia quae tandem tibi digna reponere possim ?
 10 Devoveam si me, vix satis esse putem.
 11 Tune meos versus voce ut laudaveris illa,
 12 quam stupet, et qua nil grandius orbis habet ?
 13 Praemia quaenam igitur reddam tibi digna ? Sed erro :
 14 praemia non debent reddier ulla deis.
 15 Anne tuas igitur describam carmine laudes ?
 16 (Laudari humana numina voce volunt)
 17 deficient humeri tanto sub pondere, nec jam
 18 tuta erit in tanto nostra carina mari.
 19 Quidnam igitur ? Taceo. Satis hunc dixisse putandum est,
 20 se quicumque satis dicere posse negat.

IN EUNDEM.

J3_19 v.1 Dic, dea, quod possim scripturus fingere nomen,
 2 Scaligeri quod par laudibus esse queat ?
 3 Cur petis imprudens, quod habes ? Dic, Scaliger. Illud
 4 omnia virtutum nomina nomen habet.

IN EUNDEM.

J3_20 v.1 Dicite mi, Musae, cultissima numina nobis,
 2 quonam Scaligeri pascitis ora cibo ?
 3 Sic ego, sic Musae : quam te sententia fallit !
 4 Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

AD PHYLLIDEM.

J3_21 v.1 Cum ducenda mihi sine te sunt tempora, Phylli,
 2 longior est anno mensis, et hora die.
 3 At tecum si quando datur mihi vivere, rursus

4 esse diem credo, qui modo mensis erat.
 5 Te sine vel Tauri cum lustrat cornua Titan,
 6 semper adesse mihi maesta videtur hiems.
 7 At tecum medio gelidae sub tempore brumae,
 8 ire tamen veris tempora laeta puto.
 9 Te sine nox mihi fit, medio cum Phoebus in axe est ;
 10 at tecum in media fit mihi nocte dies.
 11 Quantum in me miserum juris tibi fata dedere !
 12 Quae mihi vel caeli vertere jura potes.

IN CAROLUM CALIANTHEUM.

J3_22 v.1 Philosophum te dicis, et hoc te nomine jactas,
 2 prae te omnes reliquos ut nihil esse putas ;
 3 nec tamen aut rerum causas et pondera nosti,
 4 aut aliud, nomen quo mereare sophi.
 5 Una tuis titulis addenda est littera, Carle :
 6 nec mihi philosophus, sed philosomphus eris.

RODOLPHO CONDOMIO,

J3_23 v.1 Ad cenam tibi me quoniam condicere cogis,
 2 (si modo quis cogi, quo cupit ipse, potest)
 3 accipier qua me cupiam ratione, Rodolphe,
 4 cognosce, et cenae quid caput esse putem.
 5 Non me praecipue vel avis Junonia dicit,
 6 vel quae de Scythico flumine nomen habet.
 7 Ista decent reges : nobis cenantitrus una,
 8 sustineat parcas sobria mensa dapes.
 9 Sit vini tibi cura prior : nisi nobile vinum est,
 10 et jocus a mensis, et lepor omnis abest.
 11 Tunc cibus invito lentescens crescit in ore,
 12 et levius ferre est, quam recreare sitim.
 13 Sin contra adfuerit generosi copia Bacchi,
 14 vix capit undantes vel domus ipsa jocos ;
 15 tunc et convivae per mutua pocula certant,
 16 hic annos dominae condit, at ille suos,
 17 et veteres memorant flammas, et carmina dicunt,
 18 et laudent cenae concelebrantque patrem.
 19 Quare agedum memori primum hoc sub mente teneto
 20 si tibi cura mei, sit tibi cura meri.

IN LYGDUM.

J3_24 v.1 I...εις Lygdus teneris dum discit ab annis, (mot grec peu lisible)
 2 est simul et Chiron factus, et Eurytion.

IN EUNDEM.

J3_25 v.1 Lygdus blandulus est, venustulusque,
 2 formosusque supra modum, et benignus
 3 non aeris modo, sed sui et suorum :

4 his multos parat artibus sodales.
 5 Unum est quod nequit approbare multis
 6 nasutis nimium, dicacibusque,
 7 Mureto, Crucioque, Memmioque,
 8 quod se frugibus unicus repertis,
 9 multa pascere glande perseverat.

DE Porna AD MEMMIUM.

J3_26 v.1 Porna suis tantum, Memmi, substernit amicis.
 2 Verum ; at nulli umquam Porna inimica fuit.

IN EANDEM,
 QUAE SE ETIAM FAMILIS SUBIGENDAM PRAEBEBAT,
 CUM TAMEN MIRE ARROGANS ESSET.

J3_27 v.1 Quam malus est, quisquis dicit te, Porna, superbam !
 2 Quid ? Tu te pueris subjicis ipsa tuis.

GULIELMO MOMBASIO, EPISCOPO LECTORENSI.

J3_28 v.1 Quod tam censeris generoso sanguine, Praesul,
 2 quodque es tam multis clarus imaginibus,
 3 illa quidem certe laus est non infima, sed quae
 4 tota ad majores sit referenda tuos.
 5 Quod superas opibus multos, quod honoribus anteis,
 6 fortunae haec dici munera posse vides.
 7 Quod sis augusto spectandus corpore, forsan
 8 natura hanc dotem vindicet ipsa sibi.
 9 At quod tam multis fulges virtutibus, atque
 10 eximiis rari dotibus ingenii,
 11 quodque tuis lucem praeferre nepotibus illam,
 12 quam tibi majores ante tulere, potes :
 13 haec demum est tua laus, haec, Praesul, laus tua demum est,
 14 una haec te superis inserit ordinibus.

IN PONTICUM.

J3_29 v.1 Saepius hinc illinc video tibi, Pontice, mitti
 2 carmina judicio subjicienda tuo,
 3 idque a divitibus ; neque enim tua, Pontice, quisquam
 4 emendaturus limina pauper adit.
 5 Quid mirum ? Neque enim possit dare munera pauper,
 6 nec te, quae veniunt carmina sola, juvant ;
 7 mittit at hic gemmas, alias cum versibus aurum,
 8 ut constent operae praemia digna tuae.
 9 Tu, quia muneribus caperis, mala carmina laudas,
 10 altera mentita retia laude paras.
 11 Quid correctoris falso te nomine jactas ?
 12 Id non corrigere est, Pontice, colligere est.

IN EUNDEM.

J3_30 v.1 Aurea non vana jactas tua carmina voce :
2 purgari solo nempe quod igne queunt.

FRANCISCO MONCAUDO, BURDIGALENSI.

J3_31 v.1 Moncaude optime, cui novem sorores
2 sertis tempora laureis coronant,
3 quem vatem geminus suum Cupido,
4 quem vatem genitrix suum Dione,
5 spretis omnibus, unicum salutat,
6 illos versiculos perelegantes,
7 illos versiculos perimpudicos,
8 nec castos nimis, et nimis venustos,
9 molles, improbulos, libidinosos,
10 effrontes, pathicos, Catullianos,
11 per ludum mihi quos heri dedisti,
12 jam, credo hercule, millies relegi.
13 Ut sunt molliculi ! Ut fluunt decenter !
14 Ut spirant Venerem undiquaque totam !
15 Ut vincunt Sybariticos poetas !
16 Ut, quod pruriat, incitare possunt,
17 non dico senibus modo his pilosis,
18 verum decrepitisque, mortuisque,
19 si quidquam pote mortuos movere est.
20 Atqui dicere te tamen solebas
21 ludorum, et Cypriae rudem palaestrae,
22 meque illa imbueras opinione,
23 nil te ut virginum magis putarem ;
24 quin et versibus, impudens, in ipsis
25 semper dissimulas, adhucque sumis
26 tironis tibi nomen imperator.
27 Ohe desine : ten' ego ut pudicum
28 posthac arbitrer, ampliusve fallar ?
29 Imo mehercule virginemque Cyprin,
30 castratumque putem prius Priapum.

DIVINO INGENIO CAES. SCALIGERI.

J3_32 v.1 Eminus aetherii collucens luminis aura,
2 quae radios toto disjicis orbe tuos,
3 certaque cognati retinens commercia caeli,
4 tunc etiam, cum te deprimis, astra vides :
5 haec tibi pauca tui mirator maximus offert
6 carmina, at indocta non bene ducta manu,
7 si liceat, tibi templa simul positurus, et aras,
8 usque adeo numen suspicit ille tuum.
9 At tibi pro templo caelum est, humus, ara ; nec ipse
10 jam renuit, quin sit victima sacra tibi.

PRO CAROLO MONTAUSERIO AD MARGARITAM REGINAM NAVARAE.

J3_33 v.1 Mens regni, sexus lumen, stupor orbis, in uno
 2 munera quae divum corpore cuncta tenes,
 3 conspicere in qua una veteres licet heroinas,
 4 et quidquid veteri laudis in orbe fuit,
 5 delicium caeli, terrae decus, accipe, quae se
 6 advolvunt pedibus carmina pauca tuis.
 7 Nam quamvis tibi nulla dari, nisi magna decebat,
 8 parva tamen laeta sumere fronte soles.
 9 Illa tibi cum diis communis, ut omnia, virtus,
 10 vili etiam placant quos data tura manu.
 11 Fors olim majora tibi, et meliora dicabo,
 12 si modo me solita, diva, fovebis ope.
 13 Te sine nil, sed multa tuo cum numine possum :
 14 nititur auxilio spes mihi tota tuo.
 15 Ipse quidem prorsus nihil hoc sum tempore, sed tu
 16 ex nihilo me aliquid reddere, diva, potes.

CAES. SCALIGERO.

J3_34 v.1 Cum mea tantopere placeant tibi carmina, Caesar,
 2 vel si non bona sint, jam bona facta puto.

F. GRATO LOMENIO.

J3_35 v.1 Quisquis te gratum primus, Francisce, vacavit,
 2 omen, non nomen tradidit ille tibi.

IN QUENDAM.

J3_36 v.1 Mulciber incessu, capite Aeolus, ore Lyaeus,
 2 tres uno divos corpore solus habes.

IN RUFINUM.

J3_37 v.1 Inter Latinos forte sicubi assedit
 2 pulcellus iste, fuscculo ore, Rufinus,
 3 qui sericatus gaudet ire per vicos,
 4 tria verba molli Graeca voce "Traulizei"
 5 Graece sed adsit eruditior quisquam,
 6 silentur illa ; proferuntur Hebraea,
 7 quae lividis praemansa dentibus latrans,
 8 nil prae se Apellas jurat esse Rabinos,
 9 suaeque ita objicit imperitiae velum.
 10 At scis, apud nos astus iste quid prosit,
 11 doctor trilinguis, architecte verborum ?
 12 Scis, inquam, apud nos astus iste quid prosit,
 13 qui vera fucis judicamus abstensis ?
 14 Dum vis videri habere tres simul linguas,
 15 unaque tentas anteire serpentes,
 16 quod credimus te haud aliud esse quam linguam.

IN NOALLIUM.

J3_38 v.1 Nil immundius est tuis libellis,
 2 nil obscenius, impudiciusque ;
 3 et vis te tamen ut putemus esse
 4 Numa, Fabricioque sanctiorem.
 5 At sententia nostra ea est, Noalli,
 6 quisquis versibus exprimit Catullum,
 7 raro moribus exprimit Catonem.

IN VIRGILIUM. VIRGILIUS IPSE LOQUITUR.

J3_39 v.1 Cor Phoebi, Phoebus Latii, vatum pater, et rex,
 2 fons ex quo Aoniae prosilit humor aquae,
 3 par volui primum, major sed factus Homero,
 4 in Graecos Romae jura secunda dedi.
 5 Ad caelos tandem raptus, Jove judice, dico
 6 nectarea illorum vincere voce sonos.

IN LYGDUM.

J3_40 v.1 Quid sis tam facilis, quod sis tam, Lygde, benignus,
 2 quam nova nupta suo cum parat ire viro,
 3 hoc cave te credas nobisve aliisve molestum
 4 nomine, quin etiam nos magis ista jugant.
 5 Dispicet hoc, quod non tantummodo, Lygde, benignus,
 6 verum etiam, ut fama est, officiosus homo es.

IN APOLLINEM.

J3_41 v.1 Cum timidam cupidus Daphnen sequeretur Apollo,
 2 currentem celeri per juga summa pede,
 3 improbe, narratur tristis dixisse, Cupido,
 4 incaluit pectus cuius ab igne meum,
 5 aut concede tuas, quibus istam persequar, alas,
 6 aut tua de nostro pectore tela move.

IN PONTICUM.

J3_42 v.1 Saepe, velut ridens, Epicuri dogmata laudas,
 2 et, quasi per lusum, rejicienda negas ;
 3 saepe, velut ridens, dicis tibi vera videri,
 4 quin etiam vultus signa probantis habet.
 5 Sic etiam vivis, quasi non alienus ab illo,
 6 omnia quae juras te simulare tamen.
 7 Tolle tuas artes, nihil haec mendacia prosunt :
 8 qui semper simulat, Pontice, non simulat.

NEQUE AVAROS, NEQUE PRODIGOS PROBANDOS ESSE.

J3_43 v.1 Improba quem partis cumulandi plura libido
 2 detinet, et juris non sinit esse sui,
 3 quem vexat damnosa modis insomnia miris,
 4 dum sua sub tacita pondera nocte putat,
 5 qui queritur tardas non saepius ire Calendas,
 6 quique nihil pensi, dummodo quaerat, habet,
 7 omnia p^{rae} lucro contemnere jura paratus,
 8 nec mihi, nec cuiquam, credo, placere potest.
 9 Sed neque qui ternis decies centena diebus
 10 fundit, et in sumptu nil putat esse nimis,
 11 quique etiam noctu, posita cum luserit arca,
 12 non alio ritu tempora lucis agit,
 13 quem Sol si primo locupletem viderit ortu,
 14 redditus ex Croeso protinus Irus erit,
 15 qualis apud Stygiam torquet rimosa paludem
 16 vano virgineas urna labore manus.
 17 Quisnam igitur ? Qui se cauta sic temperat arte,
 18 ut medium servans, vitet utrumque latus.
 19 Providus, at facilis ; parcus sibi, largus amicis,
 20 atque etiam largus, cum petit hora, sibi ;
 21 qui nec opes terra furtim componere, sed nec
 22 perdere discincti more nepotis amat.

IN GELLIAM.

J3_44 v.1 Quod nimio faciem cultu tibi, Gellia, quaeris,
 2 et suffis multo corpus odore tuum,
 3 hac ratione mihi credis te posse placere,
 4 conarisque illa me retinere via.
 5 Quaere alios, isto qui delectentur amore :
 6 personata mihi nulla puella placet.

CLAUDIO TOLETO CAMPANO.

J3_45 v.1 Cum det Rufa rosas, cum det tibi lilia, Claudi,
 2 cum det serta tibi crine ligata suo,
 3 cum te respiciens suspireret pectore ab imo,
 4 annuat argutis cum tibi luminibus,
 5 denique cum quovis solum te sola sequatur,
 6 conjicere hinc quis non ulteriora queat ?

IN ROMANUM.

J3_46 v.1 Cum somnus pigris vix dum est excussus ocellis,
 2 atque recens orto pluma relictus die,
 3 inclamas multo puerum, Romane, boatu,
 4 ora lavaturas qui tibi portet aquas.
 5 Tunc et gingivas multo sale sesquipedales
 6 proluis, et guttur terque quaterque tuum.
 7 Esse quid hoc dicam, quod cum tam saepe lavetur,
 8 numquam non tamen est sordida lingua tibi ?

F. LACCIO CAIRIECHIO.

J3_47 v.1 Tune meo elabi possis de pectore, Lacci,
 2 aut ego, dum vivam, non meminisse tui ?
 3 Ante vel istius mundi compage soluta,
 4 tetras in antiquum sit redditura Chaos.
 5 Quin mihi, cum Lachesis summos perneverit annos,
 6 nostra sonum referent nominis ossa tui.

IN GRANNIUM.

J3_48 v.1 Iambicos sine lege Grannius facit :
 2 miraris ? Ipse lege Grannius caret.
 3 Fraudem suis idem inserit poematis :
 4 miraris ? Ipse fraude sine facit nihil.
 5 Adeoque si quid fraude vacuum umquam facit,
 6 ut fraudet exspectatione alios, facit.

JOHANNI COSTECAUDO.

J3_49 v.1 Ni quantum pote quisquam amare quemquam,
 2 tantum te ipse amo, Costecaude, ni te
 3 totum non oculis fero jam in ipsis,
 4 verum in pectore et intimis medullis ;
 5 contingent mihi cuncta, quae timentur,
 6 et multo graviora, quam timentur ;
 7 tanto ut sim ipse miserrimus malorum,
 8 quanto tu unus es optimus bonorum.

JOCOSUM.

J3_50 v.1 Membra sacerdotes si nunc sua caedere moris
 2 esset, ut in prisca relligione fuit,
 3 crebra minus ferret spuriorum examina tellus,
 4 fraudaret sociam femina rara fidem.
 5 Vera quidem sunt haec ; sed si lex illa feratur,
 6 quaere alium quam me, qui tibi sacra canat.

IN MALOS PRINCIPES.

J3_51 v.1 Jupiter in faciem, propter sua probra, lupinam
 2 mutavit regem, Maenalis ora, tuum.
 3 Ille quidem regum solus, mihi credite, non est,
 4 de se qui dici promereatur idem.

IN CORELLIUM.

J3_52 v.1 Sutor es, et pistor, lanius, lenoque, coquusque,
 2 mercatorque bonus, causidicusque bonus.

3 Te tamen in tota non est mendicior urbe,
 4 nec quem paupertas artius aegra premat.
 5 Dic, agedum, qui fit (nam res est mira, Corelli,)
 6 cum tot res facias, rem facere ut nequeas ?

IN LYGDUM.

J3_53 v.1 Cur tibi cauta dedit corpus natura pusillum ?
 2 Viderat hoc ipso plus satis esse mali.

DE MONACHO QUODAM.

J3_54 v.1 Cordigerum abjecto deprendit forte cucullo
 2 hospita non segnem, nec sine mente virum,
 3 cui tota interior (velut omnia plena dolorum)
 4 serica sub vili tegmine vestis erat.
 5 Hospita quod mirata : "Quid, o pater optime, numquid
 6 vestis, ait, sorti convenit ista tuae ?"
 7 Ille nihil cunctatus : "Eho, quidnam vetat ? inquit.
 8 Quippe meo sunt haec parta labore mihi ;
 9 quoque magis credas, (grandi mutone relecto)
 10 hoc mihi, ait, fusum talia nere solet."

IN CONVIVATOREM NIMIUM PROLIXUM.

J3_55 v.1 Quonam scriblitas, quonam ista sophismata plenis ?
 2 Vis bene convivas pascere ? Pone famem.

ANNAE OGERIAE NEAPOLITANAE.

J3_56 v.1 Aurea caesariem, praedulci argentea voce,
 2 hei mihi, cur duro ferrea corde manes ?

JOHANNI DELIANO.

J3_57 v.1 Si sacer aetherio furor excitat igne poetas,
 2 eosdemque assidua lampade torret Amor,
 3 miraris, solidos cur nam exhaurire trientes,
 4 donaque Lenaei sumere patris ament ?
 5 Ante diem geminus miseros extingueret ardor,
 6 ni daret assiduus frigora grata latex.

STEPHANO ALISIO, BURDIGALENSI.

J3_58 v.1 Si mea se faciles dederint in vota Camenae,
 2 ut per plura meum saecula carmen eat,
 3 tu pariter mecum memori celebraberis aevo,
 4 et tibi scripta vetus per mea nomen erit.
 5 Sin (sed enim verbis et pondus et omen abesto)
 6 non seneant domino longius illa suo,

7 non tamen idcirco tibi displicitura putabam
 8 haec magni in te animi pignora parva mei.

MARIO CRUCIO.

J3_59 v.1 Forma aetate perit, vires aetate fatiscunt,
 2 casibus innumeris eripiuntur opes.
 3 Una, Mari, est virtus quam non vis temporis aufert,
 4 non premit indigno sors inimica pede.
 5 Una suos invicta perennibus inserit astris,
 6 fortunae imperio liberat una suos.
 7 Hanc sequere. Insani est postponere firma caducis,
 8 veraque quae bona sunt spernere, falsa sequi.

IN PONTICUM.

J3_60 v.1 Ponticus eximum dum sese ait esse poetam,
 2 hoc solo dici jure poeta potest.

IN LAIDEM.

J3_61 v.1 Non toto est mulier, quam Lais, justior orbe.
 2 Cur ita ? Nam rectum semper amare solet.

IN AVITUM.

J3_62 v.1 Cum subigat sterilem, nihil illi donat Avitus :
 2 sic fit, ut ille oleum perdat, et illa operam.

IN PONTILIANUM.

J3_63 v.1 Cur tua vix umquam sint salsa epigrammata, quaeris ?
 2 Diluis haec nimio, Pontiliane, mero.

DE VIRTUTE ET GLORIA.

J3_64 v.1 Virtus, ut solidum quiddam est, et corpora constans,
 2 aequa sed est umbrae gloria fluxa levi.
 3 Hanc igitur quisquis neglecta amplectimur illa,
 4 huic mage quam corpus, corporis umbra placet.

DE LUCII CUJUSDAM MEMORIA.

J3_65 v.1 Esse aliquam si quis memorandi perneget artem,
 2 hanc qui confirmet, Lucius unus erit :
 3 ille etenim nuper curaque adjutus et arte,
 4 tres versus totidem noctibus edidicit.

IN PAULUM.

J3_66 v.1 E lecto surgens ad mensam accedere Paulus,
 2 e mensa ad lectum rursus abire solet :
 3 interea attingit libros, ut vina catelli,
 4 et queritur, sese discere posse nihil.

FATIS PARENDUM.

J3_67 v.1 Obsequitor fatis, ducent te fata volentem :
 2 sin minus, invitum te tamen illa trahent.

DE POMPILII NASO.

J3_68 v.1 Pompilio est nasus cubitos tres longus, et unum
 2 latus, et hunc murus cingit utrimque triplex ;
 3 adsunt et turres, Bacchus quas condidit ipse,
 4 et minio tinctis usque rubere dedit.
 5 Huic etiam naso vis admiranda tributa est,
 6 nam calices siccos illius umbra facit.
 7 Imo etiam longe distans si senserit usquam,
 8 ut magnes ferrum, sic trahit iste merum.
 9 Nuper eram in mensa, sitiens, potare paratus,
 10 Pompilius clausas astitit ante fores :
 11 (mira canam, sed vera) merum mihi forte paratum
 12 attraxit nasso protinus ille suo.

IN PAULI NASUM.

J3_69 v.1 Exiguum si quis nasum vidisse laborat,
 2 Paulum adeat, Paulo si modo nasus inest.
 3 Non etenim est nasus, sed pars centesima nasi,
 4 et quo quis viso dicere possit, ubi est ?
 5 Talis inest nasus muscis, sed et his quoque major,
 6 et melius nasi nomine dignus inest.
 7 Quam quae per radios volitant corpuscula solis,
 8 majorem nasum vix, puto, Paulus habet.

SUB EXORTUM DIEI.

J3_70 v.1 Roscida purpureos effert Aurora jugales,
 2 et nitidum Soli praevia sternit iter ;
 3 noctis aves dudum rupere silentia cantu,
 4 nullaque jam caelo rara vel astra micant.
 5 Exit flammivomo Phoebus spectabilis ore,
 6 rt tenebras densae noctis abire jubet.
 7 Christe, patris splendor, vero me lumine reple,
 8 atque meo tenebras pectore procul.

IN GAURUM.

J3_71 v.1 Effundas versus una cum luce ducentos,
 2 forte poetastris annumerandus eras ;
 3 sed cum te eximum jactas tam saepe poetam,
 4 id quoque quod paulum est, incipit esse nihil.

IN PAMPHAGUM.

J3_72 v.1 Pamphagus in patulam tam multa ingesserat alvum
 2 quam poterant denis plus satis esse viris.
 3 Ecce venit caupo, pretiumque expositulat ; ille
 4 ebria terribili lumina more rotans,
 5 evomit in patinam vinumque cibosque receptos,
 6 atque ait : "En, merces tu tibi habeto tuas."

IN GALLONIUM.

J3_73 v.1 Stertit ad octavam Gallonius ; inde cubili
 2 paulatim assurgens languida membra levat.
 3 Objicitur perdix, quam protinus ille calentem
 4 devorat : hac nulli cesserit arte libens.
 5 Spumantis temeti cyathos octove novemve
 6 adjicit, et sacris sic operatus, ait :
 7 "Di, date mi constantem animum, mentemque quietam :
 8 quam multis vita est nostra reserta malis !

SESTIO.

J3_74 v.1 Multa quidem, fateor, confers mihi munera, Sesti,
 2 devinctum tibi me nec tamen esse reor.
 3 Cur ita ? Quod quae das tristi dare mente videris :
 4 sic ego quae data sunt, vendita dona voco.

DE VOLUPTATE, ET RATIONE.

J3_75 v.1 Cum, velut excelsa residens in puppe, Voluptas
 2 arbitrio mentem pellit agitque suo,
 3 horrida bacchantes ineunt certamina venti,
 4 navemque in Syrtes et vada caeca trahunt.
 5 Illinc Ambitio, Dolus hinc consurgit, et atrox
 6 ira cruentatas sanguine tintcta manus.
 7 At ratio regimen navis si sumpserit, ecce,
 8 compositis undis aequora tuta silent ;
 9 ipsa ratis nullo ventorum exterrita flatu
 10 in portum certo tramite flectit iter.

SANSONI CRUCIO.

J3_76 v.1 Et bonus, et dives, Sanso, simul esse laboras,
 2 id fieri nulla sed ratione potest.

3 Sic utrumque petens, perdes utrumque : necesse est,
 4 alterutrum tollas, alterutrumque petas.

TUMULUS OTTHONIS, HOMINIS VORACISSIMI.

J3_77 v.1 Conditus hac sub humo est gurges vastissimus, Ottho,
 2 cui nunc officium justa rependit humus.
 3 Condidit in ventrem terrae tot jugera vivus,
 4 hunc sub ventre suo nunc quoque terra tenet.

IN VIRRONEM.

J3_78 v.1 Quod totam Virro furiosi more per urbem
 2 discurrit noctu, quod loca sola petit,
 3 nescio quid secum solus quod mussitat : illo
 4 quod nemo est tota sordidus urbe magis,
 5 hac ratione parat nomen famamque poetae,
 6 et reperit fatuor, sic quibus esse probet.
 7 O valeant calami, pereat genus omne librorum,
 8 reddere si vates mens male sana potest.

IN PAULUM.

J3_79 v.1 Quae tu condideras, inspexi carmina nuper,
 2 lectaque sunt, fateor, terque quaterque mihi.
 3 Nec tamen evalui cognoscere quid sibi vellent,
 4 usque adeo obscure scribere, Paule, soles.
 5 Nam tu verba, puto, ex libris accepta Sibyllae,
 6 quaeque Catonis erant tempore prisca nimis,
 7 versibus infercis, gaudesque obscurus haberi,
 8 et velut inducta singula nube tegis.
 9 Errasti hoc tantum, quod mittens carmina, Paule,
 10 debueras una mittere grammaticum.

AD AMORES.

J3_80 v.1 Carnifices curae, miseraeque incendia mentis,
 2 et tu cum pharetra, saeve Cupido, tua,
 3 tuque, Erycina ferox, longum, aeternumque valete,
 4 ferte alio vestras, noxia tela, faces ;
 5 praeteriti vobis nimium concessimus aevi,
 6 jamque dies mores postulat ista novos.
 7 Nunc juvat et rerum causas tentare latentes,
 8 in viaque ignavis per loca ferre pedem,
 9 induere et mores, contracta fronte, severos,
 10 atque puellares spernere blanditias.
 11 Haec loquor ; at si me placidis spectarit ocellis,
 12 quae fugat aspectu nubila cuncta suo,
 13 quam vereor, ne mox mihi multa et magna locuto
 14 omnia cum fastu fortia verba cadant !

IN PONTILIANUM.

J3_81 v.1 "Cum rapidus medio desaevit in aequore Titan,
 2 fer, puer, huc cyathos", Pontilianus ait ;
 3 cum pluit, en, inquit, deus admonet esse bibendum,
 4 qui nunc tam multo proliuit imbre solum."
 5 Sic vacua a potu non umquam tempora dicit,
 6 curque bibat, semper Pontilianus habet.

PETRO QUINTIO.

J3_82 v.1 Si dea, quae dubiis huc illuc passibus errat,
 2 at regit humanas, lumine capta, vices,
 3 quem Labyrintheis erroribus egit, Ulyssem
 4 ad patrios esset passa senere focos,
 5 membraque lausque viri tumulo caperentur eodem,
 6 et tegeret nomen, qui tegit ossa, lapis.
 7 At quoniam fatis varie crudelibus actus,
 8 dura tulit terra plurima, plura mari,
 9 vivit, et evectus rutilis super aethera pennis,
 10 Maeonio clarum carmine nomen habet.
 11 Macte animo, Quinti : dum te sors invida vexat,
 12 a patriisque procul finibus esse jubet,
 13 virtutem illa tuam toto disseminat orbe,
 14 dumque nocere cupit, sic quoque saeva juvat.

CLAUDIO BURGO.

J3_83 v.1 Perpetuo maeres, nec frontem exporrigis umquam,
 2 hoccine tu, quaeso, vivere, Burge, vocas ?
 3 Is demum vere vivit, qui mente serena
 4 et nitido laetos exigit ore dies.
 5 At qui perpetuis torquet se angoribus, hunc non
 6 vivere, sed lenta morte perire puto.

IN DIVAM CATHARINAM.

J3_84 v.1 Quo te praecipue commendem nomine, Virgo ?
 2 Laus etenim quae te non minor esse queat ?
 3 Magnum erat errores veterum liquisse parentum,
 4 majus at imperium deseruisse fuit.
 5 Magnum erat immanis rabiem sprevisse tyranni,
 6 supplicia at majus sponte subire fuit.
 7 Magnum erat his vitam sponte objecisse periclis,
 8 majus numquam animo succubuisse fuit.
 9 O decus eximium patriae, sexusque, polique,
 10 dicere te merito nullus honore potest.

EADEM DE SE IPSA LOQUITUR.

J3_85 v.1 Illecebras inter medias educta virago,
 2 re princeps, mulier corpore, mente dea,

3 nixa deo, mundi spernens mala gaudia, vici
 4 tum tormenta animo, tum ratione sophos.
 5 Non rota, non gladii, non ipsi horrenda tyranno
 6 mors potuit mentem sede movere meam.
 7 Scilicet haud quidquam mens Christo afflata veretur :
 8 ille meae vires, et mea vita fuit.
 9 Quid, fuit ? Estque, fuitque, atque est sine fine futurus :
 10 principium vitae mors dedit ipsa mihi.
 11 Qui legis haec, sic tu te etiam compone, viator :
 12 mors tibi pro Christo vita perennis erit.

IN QUENDAM.

J3_86 v.1 Quidam jejunum me clamitat esse poetam,
 2 et mihi "Sicca nimis carmina condis", ait.
 3 Ipse nota sed enim carpi ne possit eadem,
 4 egregia prudens calliditate cavet :
 5 numquam jejunus, numquam ut qui scribere siccus,
 6 sed satur, et vino semisepultus amet.

IN CRASSUM.

J3_87 v.1 Quod ruri maneo studiis addictus honestis,
 2 rusticus hoc videor nomine, Crasse, tibi.
 3 Rusticus ille quidem non est, qui rura pererrans,
 4 ingenium rerum cognitione colit.
 5 At tu, qui nullam nosti stultissimus artem,
 6 esse vel in media rusticus urbe potes.

IN GAURUM.

J3_88 v.1 Fama est hoc anno morituros esse poetas.
 2 Quid metuis ? Nil te, Gaure, timere decet.

IN RUFINUM.

J3_89 v.1 Cum cenen nemo tota te lautius urbe,
 2 ad tua cur rarus prandia, quaeris, eam ?
 3 Accubui simulac tecum, Rufine, monetque
 4 primus in appositas impetus ire dapes :
 5 mox onerare meas insulsis versibus aures
 6 incipis, et nugas ingeminare tuas.
 7 Nec retices umquam, sed ab ovo ad mala recenses
 8 vix, puto, per centum carmina facta dies.
 9 Quae si quis sanus patienti combibat aure,
 10 illum adamantini pectoris esse putem.
 11 Miraris cur te non possim ferre canentem ?
 12 Mensa ipsa insipido carmine pressa gemit.

IN FORTUNAM.

J3_90 v.1 Fortuna inconstans, et neutro certa paratu,
2 vel fautura premit, vel nocitura favet.

PAULO.

J3_91 v.1 Das mihi lactucas, centum sed mutua poscis.
2 Desine : lactucas, Paule, minoris emo.

IN COLLINAM ANUM.

J3_92 v.1 Dispeream, nisi te alpicio, Collina, libenter,
2 nique etiam tecum saepius esse velim ;
3 tum quoniam anguicomas sic exprimis ore sorores,
4 terriculi ut facile munus obire queas,
5 tum quoniam imprimis potas lepide, atque decenter :
6 crede mihi, hic demum gratia magna tua est.
7 Nam tu aliquot, qui sint reliquae praeludia pompae,
8 suaviter immissis ructibus in cyathum,
9 sic bibis, ut dulcis labiis pendentibus humor
10 assidue alternis influat, et refluat.
11 Expers interea ne sit pars ulla decoris,
12 labitur in pinguem spurca saliva sinum.
13 Crede mihi, id pulchrum est, dentes cum allisus ad atros
14 sic patulo geminus ludit in ore liquor.
15 Macte age, macte animo, Furiarum sola voluptas,
16 delicium Stygii sola futura canis ;
17 perge, citosque bibens Maeandri redde reflexus :
18 id, festiva, simul et bibere, et vomere est.

ANTONIO COLLAEO.

J3_93 v.1 Umquamne, Antoni, locupletem te fore credis ?
2 Et caelo, et tota falleris hercle via.
3 Non es adulator, non fur, non denique leno,
4 non bonus insontes voce onerare reos.
5 Innocuus vivis, fraudisque et criminis expers,
6 semper in antiqua simplicitate manes.
7 Evades numquam dives rationibus istis :
8 esse bonum nostro tempore stultitia est.

PAULO.

J3_94 v.1 Quicapis, inferior ; major, qui donat, habetur ;
2 inferior sic te, Paule, libenter ero.

CUIDAM.

J3_95 v.1 Hos tibi quid juras factos ex tempore versus ?
2 Pagina, si taceas, id satis ipsa probat.

IN PHAEDRAM.

J3_96 v.1 Cum Phaedra Hippolyti disjectos cerneret artus,
 2 membraque tam multis sanguinolenta locis,
 3 "Postquam non potui vivum te inflectere, dixit,
 4 persequar ad Stygios te tamen usque lacus."
 5 Dixit, et incumbens gladio, terram ore momordit.
 6 Saepe amor insanus talia monstra parit.

IN QUEMDAM

J3_97 v.1 Quidam Margaridem meam salutat,
 2 morbosus, capularis, eviratus,
 3 ficosus, recutitus, herniosus,
 4 calvaster, podager, cadaverosus,
 5 Orci victima, pabulum Charontis,
 6 cui jam oris, puto, foetido in recessu
 7 dentes quinque, nec amplius, supersunt ;
 8 cui centum scabies petita lustris
 9 artus depopulatur ulcerosos.
 10 Idem, quod magis ac magis pudendum est,
 11 pauper, dirutus, expeculiatus,
 12 qui noctu omnia fana pervagatur,
 13 si quid, perditus, harpagare possit,
 14 a se quo miseram famem repellat.
 15 Atqui sursipiat, clepat : quid ad me ?
 16 Quidquid fecerit, haud movebor umquam,
 17 dum ne Margaridem meam salutet.

AD JANUM VERMELIANUM.

J3_98 v.1 Divitias hodie plena depromere ab arca,
 2 thesaurosque meos jam reserare placet,
 3 ut te muneribus donem, mi Jane, superbis,
 4 Jane, inquam, ex animo numquam abolende meo
 5 dona paro tibi ferre, quibus, si dicere fas est,
 6 Attalicae possunt nil dare majus opes ;
 7 munera, Persarum gazas quae vincere possint,
 8 munera, Pactoli est prae quibus unda nihil.
 9 Quidnam post tantos feret hic promissor hiatus,
 10 qui sua tam elata munera voce canit ?
 11 Sic tecum, et quae sint en tandem dona requiris ;
 12 atqui jam dudum, quae tibi poscis, habes.
 13 Hui ! Dices, hoc tu breve chartae et inutile frustum
 14 Persarum gazis amplius esse putas ?
 15 Quid facias ? Nil possideo, nisi carmina, Jane ?
 16 Quare ea thesauros divitiasque voco.
 17 Tu quoque, si natura mihi tua cognita recte est,
 18 carmina divitiis pluris habenda probas.

CURANDAM ESSE HIEMIS TEMPORE CUTICULAM.

J3_99 v.1 Ingere ligna foco, vis frigoris aspera saevit ;
 2 Eia age, quid dubitas ? Ingere ligna foco.
 3 Non audis quanto Boreas bacchetur hiatu ?
 4 Nonne vides multa ut jam nive canet humus ?
 5 Aspicis ut veteres viduentur frondibus orni ?
 6 Cernis ut amissas silva queratur opes ?
 7 Cernis et ut pigro lentescant marmore rivi ?
 8 Me gelidus totis artubus horror habet.
 9 Ferto, age, ferto huc vina, puer, cyathosque capaces,
 10 ante focum mensas explicuisse juvat.
 11 Jam tristi caelum est facie, jam nubilus aer
 12 omnia concutiens, nos vetat ire foras.
 13 Ergo domi inclusos genio indulgere necesse est,
 14 mos datus a priscis ut teneatur avis.

LODOICO VALESIO, ADOLESCENTI HONESTISSIMO.

J3_100 v.1 Miraris, tanto cum te complectar amore,
 2 cur tamen extremum hic te, Lodoice, locem ?
 3 Pectore nempe mihi penitus defixus in imo es :
 4 ultimus, hinc factum est, pectore ut exieris.

M. ANTONII MURETI EPISTOLARUM LIBELLUS.

AD NICOLAUM VIENNENSEM EPISTOLA.

J4_1 v.1 Inclyta nobilium soboles, Nicolae, parentum,
 2 qui jam nunc ipso ex aetatis limine signa
 3 virtutis praebes nobis manifesta futurae,
 4 nimirum sapis, et rem recte intelligis unus,
 5 qui licet antiquis ortus natalibus, haud te
 6 ante tamen ponis reliquis, sed fronte modesta
 7 alloqueris cunctos, vultuque humanus amico,
 8 non ulli renuis dextram praebere fidelem.
 9 At quidam contra nullis majoribus orti,
 10 ore tamen tumido voces efflare superbas,
 11 aequalesque suos audent contemnere, tamquam
 12 indignos queis sese aequali foedere jungant :
 13 quos tu deridens, "Inter nihil esse, parente
 14 quo sit quisque creatus, ais, dum sit modo verae
 15 virtutis studiosus, ametque in rebus honestis
 16 ponere labentis fatalia tempora vitae.

17 Cui non Sicaniae notus dominator opimae,
 18 qui de figlina est ad regni evectus habenas ?
 19 At contra Persei, qui claram rexerat olim
 20 Pallenen, natus, fortunae ludibrium, amplos
 21 instabat folles, et regis filius unco
 22 impositam incidi versabat forcipe massam.
 23 Quid ? Non et matris captivae abjecta propago,
 24 cui regni flamma index circum tempora fulsit,
 25 regali fecit solio ? Quid stemmata jactas ?
 26 Num pueri regum parte enascuntur eadem,
 27 qua mendicorum ? Numquid communis utrisque
 28 materia est ? Numquid morbis obnoxius aequa est,
 29 quem lana Assyrio velat medicata veneno,
 30 principibus proavis, claroque ex sanguine natum,
 31 et sub Aquitanis sordet qui bardocululis,
 32 de peronato genitus patre ? Nonne sorores
 33 noctigenae, vitas hominum quae pollice versant,
 34 sunt aequa immites generosis, vilibus aequa ?
 35 Quidnam igitur praestat mendico hic nobilis isti ?
 36 Aut quid nobilitas tandem est, nisi fumus inanis ?
 37 Nam si vim verbi inspicias, et nobile scortum
 38 dicitur, et latro nonnunquam nobilis ; imo
 39 nomine ita accepto, Pornus quoque nobilis ipse est.
 40 Sed nempe insanit vulgus, multoque veratro
 41 indiget, indignos alienis laudibus ornans.
 42 Qui se non ullo deturpat criminis, qui que
 43 viribus ingenuas totis amplectitur artes,
 44 is mihi, sit quamvis genitore creatus egeno,
 45 nobilis est ; at qui, vitiorum mole gravatus,
 46 nil praeter statuas et avorum nomina jactat,
 47 si verum exutias, longe abjectissimus ille est.

AD JANUM ANTONIUM BAIFIUM.

J4_2 v.1 Jane, mei cordis longe pars maxima, quocum
 2 dulce mihi est totos crebro componere soles,
 3 dum tu aut Niliacae meditaris funera Thisbes,
 4 inficiens atro candardia poma colore,
 5 aut opus eximum numeris sublimibus aptas,
 6 Syrmate conspicuus picturatoque cothurno ;
 7 carmine nos humili nostros includimus ignes,
 8 aut brevibus scriptis dulces affamur amicos,
 9 aut vitiis genuinum infigimus. Omnia nos haec
 10 parvula inaudaces, tibi fas majora parare,
 11 cui totus se Helicon, totusque recludit Apollo.
 12 Ad vires se quemque suas componere verum est.

AD STEPHANUM JODELLUM.

J4_3 v.1 Semina sunt quaedam nascentibus insita nobis,
 2 queis, duce natura, ad varias impellimur artes :
 3 ille fori rabiem vesanaque jurgia laudat
 4 et pavidos grata defendit voce clientes,
 5 impatiens oti ; contra hic sulcare carinis

6 regna tridentiferi gaudet patris, et trabe vasta
 7 visere longinquo terras sub sole jacentes ;
 8 prodigus hic vitae violentis ducitur armis,
 9 gaudet et hostili stagnantes sanguine campos
 10 aspicere, et litui sonitu recreatur acuto ;
 11 ille sui numquam fines excedere agelli
 12 ausus, amat tacitis deducere passibus aevum,
 13 proscindens magnae gremium genitricis, et altis
 14 pinguia Triptolemi committens munera sulcis.
 15 Nos Musae, Jodelle, tenent genitorque Lyaeus,
 16 quem rigidi ambiguo venerantur numine Thraces,
 17 et Nymphae celeres, et capripedes Satyrisci.
 18 Nos et luce nova lustrat dum Delius orbem
 19 et jubar auricomum tremulis dum fluctibus abdit,
 20 addictos studiis videt, intentosque labori.
 21 Sed tua te virtus, animi te vividus ardor
 22 aequales longe ante alios unum abripit : uni
 23 purpureis dictant Musae tibi talia labris,
 24 qualia pulcricomus, choreas ducentibus ipsis
 25 cantat, et ad numerum simul ipse movetur Apollo.
 26 Felix ingenii, viridi cui detur ab aevo
 27 longaevos aequare senes, et carmine dio
 28 demulcere animos. Jam te ipse tumescit alumno
 29 Sequana, jam virides resonant tua nomina ripae.
 30 Perge, agedum, neu te venienti subtrahe famas :
 31 non te Parca feret totum, non totus obibis,
 32 parsque tui effugiet ferales optima flamas.
 33 Musa suosque vetat mori ; dat vivere Musa
 34 perpetuo, et famam memorem per saecla propagat.
 35 Caelo Musa beat, famam tibi Musa perennem
 36 protrahet, et caelo te olim, Jodelle, beabit.

M. ANTONII MURETI ODAE.

AD JOHANNEM AURATUM, VIRUM UTRAQUE LINGUA ERUDITISSIMUM.

J5_1 v.1 Aurate, gentis grande decus meae,
 2 qui tensa docta fila legens manu,
 3 saeclis inexpertum vetustis
 4 ambrosio jacis ore nectar,
 5 quid esse causae suspicer, invida
 6 suis quod ortos Gallia finibus
 7 aut odit, aut spernit poetas,
 8 usque favens peregrinitati ?
 9 Atqui vetustis temporibus suos

10 et fovit Hellas, et Latium suos.
 11 Quae pravitas nos mentis unos,
 12 ne faciamus idem, coercet ?
 13 Nihil daturum me auribus hic tuis
 14 velim arbitraris, sim licet et fide
 15 pridem tibi, et communitate
 16 sanguinis et patriae alligatus.
 17 Nil ista sed me commoveant tamen,
 18 Aurate, palpo percutere inscium,
 19 ut laudibus te ornare pergam,
 20 ni tua me prope singularis
 21 virtus moveret. Nil faciles tibi
 22 Musae negarunt : seu libeat fide
 23 sacrare Graeca, seu Latina
 24 nobilium inclyta facta regum.
 25 Hac arte quondam quas sibi copias
 26 Dirces alumnus, quod peperit decus ?
 27 Contra tuos mercede justa
 28 quisnam hodie decorat labores ?
 29 Praejudicatae quod nisi nos premat
 30 auctoritatis pondus, erit nihil,
 31 cur non, metu plane remoto,
 32 cedere te inficiemur illi.
 33 Sed nempe virtus temporibus jacet
 34 depressa nostris ; hinc fit ut unici
 35 virtutis altiores poetae
 36 clade etiam simili premantur.

IN DISCESSU DANIELIS SCHLEICHERI, FILII LONGUE DULCISSIMI.

J5_2 v.1 Descende caelo, et jam mihi lugubres
 2 regina dicta Calliope modos,
 3 quibus furentem, eheu, sub imis
 4 visceribus retegam dolorem.
 5 Dic, diva, carmen, quale per herbidi
 6 ripas Caystri, candidulum caput
 7 trajectus immitti sagitta
 8 voce canit moriente cycnus ;
 9 aut qualia olim conjugae Thracius
 10 rapta sacerdos dixerat, ad sonum
 11 quorum et ferae immanes quierunt,
 12 et rabidi posuere venti.
 13 Ah ! unde questus incipiam meos ?
 14 Quae prima se vox pectore proferet,
 15 iterque laxabit querelis ?
 16 Nam meus hinc Daniel recedit.
 17 Numquamne posthac, o juvenum decus,
 18 quotquot jugales dum citat aureos,
 19 terramque collustrat jacentem,
 20 ignivomo videt ore Phoebus,
 21 numquamne posthac conspiciam tuos,
 22 Schleichere, vultus ? Cur igitur moror,
 23 nec tristis invisaequa vitae
 24 fila ferox inimica rumpo ?
 25 Jam jam valete, o gaudia, et o joci,

26 et quidquid antehac dulce fuit mihi ;
 27 venite jam fletus perennes,
 28 perpetuique venite planctus.
 29 Innixa ramis Daulias ut novis,
 30 cui cautus auceps, furtifica manu
 pullos tenellos involavit,
 32 maesta sedet, geminatque questus,
 33 et se doloris vulnere conficit.
 34 Sic ipse postquam desiero tui
 aspectu amato atque expetito
 36 posse animum exsatiare vultus,
 37 eheu, quibus tunc fluctibus opprimar !
 38 Quantas dolorum perpetiar faces !
 39 Quam saepe, te ut spectare possim,
 40 morte mea cupiam pacisci !
 41 Lenito crebris haec mala litteris,
 42 o nate, saltem, neve animo patrem
 43 depone, qui, dum vivet, unum
 44 pectore te retinebit arto.

AD CLAUDIUM VOESIUM.

J5_3 v.1 Claudi, integello pectore amabilis,
 2 qui mente solus disjicis a mea
 3 acerba curarum, benignis
 4 vocibus, alloquioque dulci ;
 5 non sic timenda est, in Libya jugis
 6 quae, matre rupta, vipera nascitur,
 7 non scorpii cauda minaces,
 8 non geniti sub aquis chelydri,
 9 non herba taetro noxia gramine,
 10 quamcumque tellus Thessalis educat,
 11 non illa, quam stillante rictu
 12 spuma canis genuit triformis,
 13 dira ut latentis tela Calumniae,
 14 quam Dite tellus sustulit ex patre,
 15 nefariam, insontesque fictis
 16 criminibus premere efficacem.
 17 Haec congregatis suspicionibus
 18 Beli nepotem perdidit, haec malae
 19 adegit ad potum cicutae
 20 innocuum sophiae parentem.
 21 Dum Phoebus Indos exoriens novo
 22 afflabit igni, Beticolas cadens,
 23 non ulla Thesidae modesti
 24 saecla pudicitiam tacebunt.
 25 Agressa blandis hunc sua fraudibus
 26 neverca pellax, "Quid, juvenum decus,
 27 labentis istud ver juventae
 28 perdis, ait, tenerumque florem ?"
 29 Cur editorum per juga montium,
 30 antris latentes persequeris feras ?
 31 Tibi absque telis retibusque
 32 praeda domi melior parata est.
 33 Accede, neu te paeniteat mei

34 fructus pudoris carpere primulos :
 35 non me ore natura indecoro
 36 protulit, immeritamve amari.
 37 Quid vana legum vincula te movent ?
 38 Natura nullos concubitus vetat,
 39 sed compedes vanissima istas
 40 cura hominum sibi fabricata est.
 41 Nil ille motus, desine vocibus
 42 tentare mentem spurcidicis meam,
 43 o spurca, et in tauros furenti
 44 progenies genitrice digna.
 45 Haec fatus in tesqua, et nemorum abditos
 46 abit recessus, gesa manu rotans ;
 47 vadentem odora et vis sagacium
 48 anteit, et sequitur Laconum.
 49 Quid innocentia sed juveni tamen
 50 servasse tanto a crimine profuit
 51 mentem, si apud patrem reversum
 52 impia plus potuit noverca ?
 53 Cujus querelis ille adeo integer
 54 per vota matris filius occidit,
 55 cautes et eliso marinas
 56 imbuit emoriens cerebro.
 57 Nec me venenis non petiit suis
 58 illa ipsa mendax anguipedum soror,
 59 mendaciorum procreatrix,
 60 perpetua et scelerum architecta.
 61 Sed dexter illi me eripuit deus,
 62 umbone tamquam me triplici tegens,
 63 cuius memor, numquam canoris
 64 versibus hunc celebrare mittam.

AD PETRUM RONSARDUM GALLICORUM POETARUM FACILE PRINCIPEM.

J5_4 v.1 Ronsarde, Aonii pectinis arbiter,
 2 qui princeps resonum sollicitas ebur,
 3 ventorumque minas et celeres potens
 4 lapsus sistere fluminum,
 5 quando te reducem Vindocino ex agro
 6 cernemus, veterum turba sodalium ?
 7 Quis te, quis niveo vellere conditus
 8 nobis restituet dies ?
 9 Qui desiderio perpete nunc tui,
 10 heu quae non facimus vota ? Quibus sacros
 11 postes muneribus cingere parcimus ?
 12 Quas non concipimus preces ?
 13 O saltem interea, quidquid agis, memor
 14 nostri vive : ita te curribus aureis
 15 rumor per liquidum gemmeus aera,
 16 spectandum populis vehat.

AD NICOLAUM DENISOTUM, COMITEM ALSINOUM.

J5_5 v.1 Bacchus poetas et facit et fovet,

2 Bacchus poetarum ingenia excitat,
 3 Bacchus novem praestat puellis,
 4 et melior potiorque Phoebo est.
 5 Ter terna quisquis pocula sumpserit
 6 dulcis Falerni, sentiet hic sibi
 7 calere divino furore,
 8 carmina ad ejicienda, mentem.
 9 Sic laetus olim vixit Anacreon
 10 cinctus virenti tempora pampino,
 11 sic Ennius semper madenti
 12 gutture carmina funditabat.
 13 Algentis at quos potus aquae juvat,
 14 frigent eorum carmina, nec ferunt
 15 aetatem Ades, mecumque plenis
 16 hic cyathis, Nicolae, certa,
 17 miranda seris carmina posteris
 18 uterque loto gutture concinet.
 19 O dulce tormentum, o gravatis
 20 certa quies animis, Lyae !
 21 Quaenam, imperiti, pocula quaerimus
 22 vocalis undae ? Quod bifidi duplex
 23 montis cacumen somniamus ?
 24 Quam petimus, fatui, Hippocrenen ?
 25 Haec Hippocrene est : unicus hic liquor
 26 vates stupendos efficere evalet.
 27 En, par pari gratus repende :
 28 hoc ego te cyatho saluto.

AD JANUM TILIUM PARAENETICON.

J5_6 v.1 Modus tenellis quis tibi ab unguibus
 2 vitae tenendus, Jane, sit, accipe,
 3 benigna quem Natura finxit
 4 ingenio puerum sequaci.
 5 Primum ergo amorem numinis intimo
 6 serva usque fixum pectore, et illius
 7 ad jussa te compone : nulla est
 8 sors nocitura deum colenti.
 9 Fac et parentes sis pius in tuos,
 10 honore et illos promerito colas ;
 11 impune numquam sprevit ullus,
 12 a quibus ortus erat, parentes.
 13 Fas et magistris, sint licet asperi
 14 nonnumquam, honorem reddere debitum.
 15 Si quando te objurgent, id illos,
 16 te quod ament, facere arbitrator.
 17 Nam primula aetas innumeris rapi
 18 affectionum turbinibus solet ;
 19 frenari eam quare et magistri
 20 assiduo imperio necesse est.
 21 Nil turpe factu dicere fas puta :
 22 quae quisque gaudet dicere, eis quoque
 23 gaudere patrandis putatur.
 24 Indicium sua cuique lingua est.
 25 Disce, et sodales quos tibi debeas

26 parare, nam omnes consimiles fere
27 evadere illis assolemus,
28 queiscum agimus, neque pestilenti
29 si quis frequenter vixerit in domo,
30 nec si in malorum coetibus, ut sibi
31 contagio nil obsit, umquam
32 arte cavere valebit ulla.
33 Vide ergo ut illos, Jane, pares tibi,
34 queis esse te olim consimilem voles ;
35 at immodestos quos videbis,
36 et cane pejus et angue vita.
37 Laborem amato, dum juvenis viges,
38 ut otieris, cum senium premet.
39 Laboris osores nec ulla
40 laus sequitur, neque splendor ullus.
41 Haec si sub imo pectore claustreris
42 praecepta, Tili, spes bona nos tenet,
43 tuis, fore, ut majoribus te
44 persimilem videamus olim.
